Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3347

Quelle:
Copyright:

vita. Filius quoque qui patri regno ſucceſſit — poſt patris exequias et religioſiſſima funera occupatus plurimum in nouo regimine — diſtulit hactenus ſuos oratores mittere &c. Non invenio in editis Concilii Actis.

XXVII. *fol.* 308. p. 2. Oratio *Anonymi* prolixa, habita, ut videtur, anno 1437. circa tempus *Seſſionis* XXV. Synodi *Baſileenſis*, dum de loco futuri pro *Graecis* Concilii deliberaretur. Initium: *Magne ſepe res atque ardue patres Reuerendiſſimi in hoc ſacro Concilio verſate tractateque ſunt* &c. *Papiam* ſuadet Orator *Venetiis*, *Florentiae*, aut quibusvis aliis Urbibus praeferendam, de qua inter alia: *Eſt profecto illa urbs ſplendidis commodiſſimis ornata domibus. — Hic moderni genitor ducis* (Philippi Mariae) *cohabitauit princeps omnium ſua etate conſultiſſimus, hic curiam continuo tenuit, quam magni domini, omnisque fere nobilitas ytalie ſequebatur, ob quam rem multa ingentia palacia et ampliſſime ſunt edes edificate curiales. — Illic palacium eſt, quod caſtellum appellant, ingenti foſſa circumdatum, de cuius amplitudine illud retuliſſe ſufficiat, quod auguſtalis pontificalisque aule capax exiſtimetur. — Vino preterea cunctisque edulibus adiacens patria maxime habundat. — Quidquid abeſt, Ticini flumen aduectare poteſt. Sed quid hic immoror. Inſubres, ut ſcitis, populi nunquam externo tritico victitarunt, ſed ſuum ipſi ceteris prouincijs ſubminiſtrarunt, quo fit, ut ſummam ſemper in papia victualium copiam ſitis habituri, nec aliquis uobis italus pro minori precio victum dabit. — Quod tribus denarijs alibi emetis, duorum hic denariorum precium habebit* &c. Digna ſane tota lectu eſt Oratio, nec, quod ſciam, edita, id, quod et de ſequenti, quae *Codicem* terminat, Epiſtola cenſeo.

XXVIII. *fol.* 321. p. 2. *Sacroſancte generali ſinodo baſilien. in ſpiritu ſancto legitime congregate vniuerſalem eccleſiam repreſentanti Eduardus dei gratia regnorum portugalie et Algarbij Rex cepteque dominus* &c. *Grande deſiderium vehemensque cogitacio boni tocius chriſtianitatis, preſertim pacis atque concordie* &c. Petit, ut Synodus omni ope ſtudeat bello inter Anglos, Gallosque finem facere. *Datum In villa de turribus veteribus* (Torvedra) *X. die menſis ſeptembris anno a natiuitate domini M°. CCCC°. XXXIII.*

Non exigui momenti ſunt haec *Actorum* Conciliarium *Baſileenſium* Λειψανα, cum ad emendationem eorum, quae jam typis publicata ſunt, tum ob complura ἀνεκδοτα, quae an ſuis in Collectionibus *Hermannus von der Hardt* et *Steph. Baluzius* cenſuerint, dicere non habeo.

DCCCCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Foll. 295. f. a diverſis conſcriptus, ſed foliorum numeris jam primitus inſignitus ſequentia complectitur. I. *Vtrum liceat ecclе-* 291